

— — — — —
DISSERTATIO HISTORICO-
PHILOLOGICA

De

JOSFPHO

Ex

ARIMATHÆA,

Quam

Consentiente Amplissima Facult. Phi-
los. Reg. Acad. Aboënsi.

PRÆSIDE

VIRO

Maxime Reverendo atque Amplissimo

Dn. ISAACO BJÖRKLUND

L. L. Sacr. Prof. Ord.

Ad publicum bonorum examen mode-
ste defert

JOSEPHUS A. KRANCK,

Ostro-Botniensis,

d. 30. Junii A. MDCCXXIX.

horis locoque solitis.

• • • • •
ABOÆ,

Excud. Reg. Acad. Typ. JOH. KIÄ MPE.

S:æ R:æ M:tis

MAGNÆ FIDEI VIR,
PERILLISTRIS & GENEROSISSIME
COMES AC DOMINE,

**D^N. GUSTAVE
CREUTZ,**

Legionis Ostro-botnicæ CHIL-
ARCHA Præcellentissime,
MÆCENAS MAGNÆ.

QUum incertus cogitarem, cujus tute-
la hunc immature in lucem prodeuntem
ingenii fœtum committerem, non sine
ratione Tu, Celsissime Comes, mihi
occurrebas. Recenti enim obversatur
memorie gratia illa singularis, qua bea-
tum meum parentem etiam ultimis in
mortalitate diebus amplecti baud dedi-
gnatus es. Hoc vero ipsum an sine teme-
rita-

ritatis nota molirer, anxius hesitavi:
quem enim generis celsitudo, rerumq; ge-
starum celebritas in tantum exexit fa-
stigium, illum chartula cujusdam pre-
sidio ambire velle, longe ab equi limitibus
recedere videtur. *Erexit me tamen* Tua,
Celsissime Comes, *Summa humanitas,*
ad humilia quoque benignissime adspiciens,
qua fretus, humillime contendo, patia-
ris, ut radios saltem quosdam ex Tua lu-
ce, hisce pagellis omni splendore destitutis
mutuer. *Qua gratia si Josepho huic ob-*
tigerit, erit hoc ipsum mihi in sinu gra-
tulandi argumentum certissimum. De
cetero vota calidissima fundere nunquam
desinam, *velit* DEUS O. M. Te, **Celsissime**
Comes, *magnum Svecani nominis de-*
cus, boni publici fulcimen, bonorum o-
mium presidium, salvum sospitemq; quam
diutissime conservare!

PERILLUSTRIS COMITIS
ac CHILIARCHÆ

Cliens devotissimus
Josephus A. Kranck.

Maxime Reverende atq; Amplissime

VIR,

Dn. Mag. DANIEL JUSLENI,
RECTOR Acad. Aboënsis h. t. MAGNI-
FICE, S. S. Theolog. PROFES. ordin.
Ecclesiæ, quæ Aboæ est; Fœnicicæ
ANTISTES, Consistorii utriusq; AD-
SESSOR gravissime Mæcenas & Pro-
motor pio observantiæ cultu
ætatem prosequende.

S*I favorem & benevolentiam
hi declaratam, hijce in pagellis na-
animi notam haud subterfugere pos-
sna Vestra limina pulsatum ablega-
Amplitudinibus dignum sit, dolens
habeo JOSEPHUM ex ARIMA-
cenates Optimi, animos ad offeren-
id Vestra indulgentiæ acceptum re-
obtigisse beneficium profitebor. Sum-
tam vivatis salvi & incolumes,
cra habet firmissima. Sic vovet*

MAGNORUM NOMI-

Cultor hu-
JOS. ALEX.

Maxime Reverende Celeberrimeq;

Dñ. Mag. ANDREA BERGI,
 S. S. Theol. PROFES. ordin. ANTISTES
 Eccles. Nádendal/ Reso & Merima-
 sto / Consistorii utriusq; ADSESSOR
 gravissime, Mæcenas & Patro-
 ne submisse co-
 lende.

*Vestram, Mæcenates Optimi, mi-
 minare intermitterem, sane ingrati-
 sim. Contra si hæc leviuscula, ma-
 nero, nihil quod acceptum, Vestrisq;
 animadvertam. Comittem quidem
 THEA, qui ipse, si Vestros, Mæ-
 tis pietatem recipiendam moverit,
 feram, mihi que hoc ipso magnum
 ma votorum erit meorum, ut diu
 quam ecclesia afflictæ in Vobis ful-*

NUM VESTRORUM

millimus

KRANCK.

Admodum & Plurimum Reverendi,

Dn. JOHANNES FORSSKÅHL,
*Ecclesia Friedericiana, quæ Holmia est, Pastor
 vigilantissime, Consistorii urbici Adseſſor
 adcuratissime, Fautor multis no-
 minibus honorande.*

Dn. JOHANNES CAJANE,
*Pastor ecclesiarum Lochtoënſium vigi-
 lantissime, Evergeta atatem
 colende.*

Dn. HENRICE JOSANDER,
*Sacellane in Sijlajoki meritissime, Avun-
 cule pie habende.*

UT hunc Josephum, rudi licet minerva
 ſervantia & grati animi ob favorem &

Clarissimi, Doctissimi, DOMINI,

Dn. JOHANNES FORBUS;
*Pastor ecclesiarum, quae in Sijstajoki Deo col-
 liguntur, dignissime, avi loco sem-
 per venerande.*

Dn. Mag. SIMON FORSSTRÖM,
*Pastor in Paldamo accuratissime, ut olim Prae-
 ceptor fidelissime, ita jam Fautor omni ob-
 servantia genere prosequende.*

Dn. MATTHIA WILANDER,
*Sacellane in Pyhäjoki maxime industrie,
 avunculi loco suscipiende.*

*depictum, quem in signum perpetuae ob-
 benevolentiam mihi praestitam, fausta
 quae*

quævis adprecando offero, benigne excipere delitis, meque amore, quo soliti estis, prosequi pergatis, est quod etiam atque etiam rogo & obtestor,

*Adm. & Plur. Rever. Clariss.
Doct. Nom. Vestr.*

Observantissimus

Auct. & Respondens.

Handels Commissarien,

Wål-Ahreborne och Högwålachtade,
Herr ZACHARIAS
SCHEIDENBURGH,
Min högtårade käre Farbroder.

Samt

Handelsmannen i Ubleå /
Ahreborne och Högwålachtade
Herr LARS FORBUS,
Högtårade käre Frände.

Om jag med tacksamt mod ej wi-
ste billigt pris
Den godhet städse I behagat mig
bewisa /
Hållst sedan döden bort min Fas-
der tidigt tog /
Hvars stora saknad då mitt sin-
ne neder slog:
Jag owård wore wist det goda jag
erfarit /
Hur' I med hielpsam hand mig re-
debogne warit /
Då

Då jag helt rådlös stod / och kunde
de ej en gång

Besökta Helicon, och höra lär-
das sång.

Till prof af tacksamhet förthen skul
jag nu gifwer

Ehr thetta pappers fram / ther
jag om Joseph Skrifwer /

Gast thet ej sirligt är / ej heller
svara kan

Wot all Ehr godhet: I doch
seen / iag är försan /

Högstärade K. Faderbroders och
K. Brändes,

Hörsamste tienare,

Ios. A. KRANCK.



I. N. 7-

Tbes. I.



Sulla unquam, certe Israëlitica, mirandum usque in modum, variam experta est regiminis sortem republica. Primum enim

hæc ipsa a summo Numine, peculiari sane condita est forma, atque maximam partem ab eo immediate directâ: ut, ubi aliarum *monarchica, aristocratica, democratica*, rerum publicarum forma nuncupatur a Politicis, hæc ipsa recte Flavio Josepho θεοκρατική (a) audiat: qua, sub conditoris auspiciis degens Israël. civitas, Rege & monarcha solo Deo,

A

Mo

Mose & reliquis ducibus vicarias quasi partes sustinentibus, in terram Canaan, *omnium rerum copia, vel potius abundantia reliquas orbis partes longe antecedentem* (b) introducta, ibique admiranda propagata fecunditate, ad tempora Samuelis viguit floruitque. Eam tamen perpetuo non obtinebat formam. Pertasa enim hujus divini regiminis, intempestive, κακοζηδία quaedam gentium, & fiducia regiae potestatis, *non sine exemplo amentia praecipitans libertatem servitio mutare*, ut dicit Sulpitius Severus, illam poposcit obtinuitque formam regiminis, quae monarchica vocatur. Sed neque hac diu respublica perstitit Israël. Ut enim ad summum deducta fastigium, unitas Hebraeae gentis & imperii pulcherrimi contextus, post mortem Salomonis in duo dissiliit regna: ita unum eorum propter politicae verae & religionis curam posthabitam, aliquanto post dissolutum, & in Assyriam deductum est: alterum vero, suavia, septuaginta punitum est annorum capti-

3
 captivitate Babylonica. Quo tempo-
 re vere ἀναρχίας, ΝΟΝ πολιτείας am-
 plius faciem tulit, tanto non ita pri-
 dem florens nitore, tantaque gavisal-
 legum copia republ. Israël. Neq;
 ex illa redux captivitate ad pristinū
 florem statumque pervenit: quæ e-
 nim deinde viguit politia, fere per
 Pontifices administrata fuit & syn-
 edria. Et quemadmodum jam inde
 a regni scissione omnia Judæorum
 nutare videbantur; ta paullo ante
 Salvatoris tempora, legibus Roma-
 norum, præsertim in civilibus pa-
 rere coacti sunt Judæi, synedriis tan-
 tum superstitis, quæ etiam pri-
 stina non parum excidisse auctori-
 tate, vel ex ipsorum, ἡμῶν ἔκ ἐξου-
 ἀποκλειστικῆς ἐδέξα, constat effato. Ho-
 rum alicujus synedriorum fuisse
 membrum Josephum ex Arimathæa,
 cujus nomine præsentis hæ inscri-
 buntur pagellæ, ex historia passio-
 nis Dominicæ notum, autumamus.
 Ceterum favorem & benevolentiam
 Tuam, Candide Lector, quæ alio-
 rum ausus suscipere soles innoxios,

etiam his contingere patiaris, enixe rogatum venio. Quod spe tanto certiore fretus contendo, quanto majore subsidiorum in hac materia premebar inopia, temporisq; urgebar brevitare, quum illud argumentum, cui elaborando primum haud paucas jam impenderam horas, ab alio occupatum seposuissem.

(a) l. 1. cont. Ap. (b) vid. Jac. Benz. in sua Palest. pag. diff. 81.

Ihes. II.

UT methodus jam olim receptissima observetur, postulat instituti ratio, ut ἐπιμολογίαν vocum, quæ faciem commendant dissertationis, paucis attingamus. Josephus ergo nomen deducitur a radice הוסיף *adjecit, addidit, adposuit*, cujus legitur denominationis ratio Gen. XXX. 24. In conjug. Hiph. est הוסיף hinc fut. 3. sing. הוסיף . Hoc nomen etiam si pronunciatione diversum, idem tamen esse cum nomine inter Talmudicos frequentissimo הוסיף , quod

quod, ceu alia quaedam, ut בִּי pro
 תִּי, per apocopen illam induat for-
 mam, Dr. Matth. Polus (c) existi-
 mat, unde addita terminatione Græ-
 ca ἰωσφ. Quare etiam pro Jose,
 quosdam & Latinos & Græcos ha-
 bere Joseph, idem testatur auctor.
 Præter id quod nomen hoc est in-
 dividui, sumitur sæpe pro integra
 tribu (d), nonnunquam pro omnibus
 12. tribubus Isr. (e), jam pro 10. tan-
 tum. (f) Ad alterum quod attinet
 vocabulum Arimathæa, missis de hoc
 apud eruditos sententiarum proli-
 xitatibus, statuimus illud descende-
 re a radice אָרַם *altum esse, efferi,
 extolli* &c. & fuisse hanc urbem si-
 tam in monte Ephraim, eandem-
 que esse, cujus mentio fit 1. Sam I.
 1. &c. quæ patria fuit Samuelis Proph.
 tunc vocata Rama, vel Ramatha,
 & Ramathaim Zophim; deinde au-
 gmento addito, & terminatione Græ-
 ca, Arimathæa audit. (g) Et quo-
 niam hæc ipsa civitas olim ad re-
 gnum pertinebat Israël, & quidem
 ad tribum Ephraim, hinc quidam
 Jose-

Josephum nostrum ex posteris ejusdem patriarchæ oriundum esse contendunt (*l*), sine dubio hac suffulti ratione: siquidem, quamvis civitas Israël. per captivitatem illam Assyri. sedibus in perpetuum aberraverit suis: unum tamen vel alterum ex illa in patriam rediisse probabile sit ex Luc. 2. 36. Cum tamen exinde, eum nominato patriarchæ ortum debere suum difficile sit probatu, & solis niti videatur hæc sententia conjecturis; tutius eum posteritati Judæ, quippe cui hoc oppidum jam quibusdam retro sæculis cesserat in possessionem, unde & expresse Luc. 23. 51. *πῶλις τῆς Ἰουδαίας* vocatur, inscribimus. Et quandoquidem ipsa stirps vix indagari potest, proinde parentum generisqve ejus investigatio majori adhuc obsepta est difficultate. Sufficiat ergo in genere notasse, eum ex honesta non solum, verum etiam nobili prognatum esse stirpe, cum adfessores synedriorum *non de plebe hominum, vel face civitatis, sed qui amplitudinem majorum & prisca familia*

7

milia decora praeferabant, eligerentur. (i)

(c) in *synops. Crit. in Matth. XXVII.*

(d) *Deut. XXXIII. 13.* (e) *Pf. LXXX. 2. & Pf. LXXXI. 6.* (f) *Am. VI. 6.*

(g) *videtis Gerh. Harm. Ev. c. CCV. Casp. Sibel. op. Th. Tom. 3. in Matth. XXVII.*

(b) *Peringsk. Bibl. Glächtr. p. 121.*

(i) *Joh. Leusd. Philol. mixt. de syned. Maimon. Halach. Sanh. c. 2. §. 1.*

Thes. III.

HAud a scopo alienum esse videtur, de synedriis Judæorum, quo sequens controversia clarius pateat, fusius aliquanto monere. Existere triplicis generis apud Judæos synedria, סנהדרין ipsis adpellata: quorum primum erat maximum, Hierosolymis בלשכת הגזית *in conclavi saxi politis structo sedens (k) LXXI.* constans viris, sapientia & eruditionis laude morumque integritate conspicuis, sollemni actu ad hoc munus electis & confirmatis, jam inde, ut volunt, a Mose jussu Dei institutum (l). Inter quos dignitate & honore

nore præcellabant duo: prior totius caput fuit & præses synedrii, & ראש בבית הדין *princeps in omni loco* vocari solebat. Posterior huic a dextris adsidebat, ejusque absentis munus exsequebatur, adpellatus אב בית הדין *pater domus judicii*. Additur a nonnullis tertius, חכם *sapiens* dictus, qui ad lavam principis sederit (*m*). Ceteri omnes seniores æquali pollebant auctoritate, quæ non vulgaris, sed magna satis fuit: nullam enim superiorem agnoscebat jurisdictionem hoc collegium, ad quam provocatio fieret: & versabatur circa novos magistratus, aliis decedentibus, in eorum loca surrogandos: rege mortuo, alium eligendum: circa novas leges condendas: bellum gerendum: pacem in eundam: circa examinandos rejiciendosque pseudoprophetas & hæreticos, aliasque res arduas difficillimasque (*n*). Hujus auctoritati reliqua ista duo subordinata fuere synedria: quorum prius majus dictum, XXIII, constare debuit adsesori-

foribus, & occupatum fuit in decidendis minoris momenti rebus. Tertium vero trium solummodo erat virorum, & dijudicabat de rebus tantum vilissimis, viliorum locorum. Hæc duo postrema etiam in reliquis sedebant urbibus: prius quidem in iis, ubi ducentæ aut ultra, posterius, ubi ad illum non adscenderent numerum, familiæ.

(k) *Carpzov. animadv. ad Schick. de Jur. R. Heb. p. II.*

(l) *Num: XI. 16. (m) Othonis Lex. Phil. & Rabb:*

(n) *vid. præter Seld. de synedr. Hebr. Tr. Talm. Sanhedr. c. 1. & annot Coccej. Cun. de republ. Hebr. l. 1. c. II. & Leusd: l. c.*

Thes. IV.

Hinc igitur, cujusnam synedrîi Josephus, de quo nobis res est, fuerit adessor, quæstio oritur. Non quidem eos defuisse, qui eum ex consilio Pilati, nescio quo indu-
eti

et argumentorum genere, fuisse sta-
 tuerent, testis est Matth. Pol. (o). Quam
 vero inconueniens hoc sit adsertum,
 patet, præter rationem ab eodem
 auctore allatam, vel ex patria ejus,
 quam Arimathæam fuisse diximus;
 vel socio ejus Nicodemo, quem se
 ceu Judæum, illi, si Romanus esset,
 ad sociasse haud est credibile (p). Alii
 hoc innixi argumento, quod quan-
 doquidem nomen ἀρχων sit Ἰερουσαλὴμ
 ἄρχων summorum, huic vero tribu-
 atur tantum nomen βαλεῦς, exi-
 stimant eum fuisse membrum XXIII.
 viralis synedrii. Aliis ex senatu ur-
 bis Hierosolymitanæ, nisi ille idem
 cum synedrio parvo dicendus, fuis-
 se videtur: aut denique ex conclavi
 & confessu sacerdotum in negotio
 liturgiæ (q). Nos vero cum D. Ger-
 hardo (r) & D. Gezelio (s), eum fu-
 isse ex maximi adfessoribus synedrii
 statuimus, his præcipue innixi ra-
 tionibus: quia primo illustris ille
 titulus εὐχημάτων βαλεῦς, honoratus
 senator, nulli nisi membro synedrii
 maximi competere videtur, præ-
 fertim

fertim cum vox βασιλευς non minoris
 sit dignitatis, quam sæpe nomen
 ἀρχων. Hoc certe non semper
 summam denotat potestatem; sed
 & ulu novi ipsius fœderis cum, qui
 auctoritate qualicunqve ceteris emi-
 net (r), unde & præfidi synagogæ tri-
 buitur (s), & summi synedrii ne il-
 lustrioribus quidem personis semper
 adjectum legitur (x). βασιλευς ve-
 ro Senatorem designat. Nam qui
 Romæ senatores, in municipiis &
 coloniis decuriones, iidem in pro-
 vinciis βασιλῆαι dicebantur, adeo-
 que supremæ cujusqve loci curiæ,
 quæ βελη vocata, adseffores hoc or-
 nabantur titulo (y). Unde & Judæis
 familiare redditum est hoc nomen,
 ut in Talmude haud raro occurrat
 בולותי לשכת conclave *buleutarum*,
 & בולותי ירושלים *senatores Hieroso-*
lymorum, quod cum nomine ἀρ-
 χότες, quo membra synedrii ma-
 ximi in sacris frequenter insigniuntur,
 pari illis passu ambulat, quemadmo-
 dum Talmud. Hieros. in Taan. quod

tu petis fieri ארכונטוס וכולוטס *prin-*
ceps & senator (2). Neque ab simile est
 nomen Messiae majestatis plenum
 משיח, exponente Theodoreto, *Ἰησ*
μαλειῆς βασιλῆς κοινοῦς *]. Deinde
 quandoquidem non alibi quam in
 hoc Synedrio maximo vatum falso-
 rum causa disceptabatur, & Salvato-
 rem pro pseudopropheta habebant
 & seductore Judæi: haud inepte ex
 verbis, *ὅτι ἦν συγκατάθεται* *Ἰαμεῖ* *Ⓞ*, non e-
 rat ad sensus consilio & facto collegarum
 suorum in Christi necem conspi-
 rantium (AA), præsertim cum nul-
 la dissuadeat ratio, quo minus ulti-
 mam illam consultationem hæc re-
 spiciant verba, cum unum fuisse
 de eorum numero evincitur. Fru-
 stra enim dicitur, in omnibus col-
 legiis tunc de Christo e medio tol-
 lendo fuisse consultatum, cum hoc
 jus soli synedrio maximo Talmu-
 distæ expressis vindicent verbis:
 און דבן ליה את השבט ולת
 את נבית השקר ולת את כון
 גדול לת בשרת דין שר
 שבעת ומחוד *i. e. Tribus, pseudo-*
proc

prophetae, sacerdos magnus, non nisi
 a LXXI. iudicum confessu iudicantur (bb).
 Porro gratia, qua apud Pilatum va-
 lebat, & facilis isto quidem casu ad-
 missio, dignitatis senatoriae haud
 vulgaris est indicium. Denique ali-
 quid roboris socius in sepeliendo
 Christi corpore conciliat Nicode-
 mus. Non enim videntur antea igno-
 ti fuisse & inaequalium conditionum:
 quin potius ex unanimi ipsorum
 consensu in actum hunc pari utri-
 usque cum periculo conjunctum,
 eos & collegas fuisse & familiari-
 tate conjunctissimos, saltem proba-
 biliter colligi potest.

(o) in Synops. in Marc. XV. (p) conf. Job.
 XVIII. 28.

(q) viz. Ligbtsf. Hor. H. in Matth. c. XXVI,
 (r) annot. ad Matth. XXVI.

(s) Annot. ad Marc. XV. 43-

(t) Act. XIV. 5, (u) Luc. VIII. 41.

(x) Act. V. 34, (y) Buda. in Pandec. Spar-
 tian. in Severo. Plin. libr. 10. Epist. 24 §
 48. conf. J. Thomasf. not.

(z) Buxt. Lex. Chald. Talm. & Rabb.

(*) *Es. IX. 6. conf. Wolfsburg. Observ. sacra.*

(Aa) *Luc. XXIII. 51.*

(bb) *Sanbedr. c. 1. §. 5.*

Tbes. V.

JAm igitur obtento, eum adsefforem fuisse synedrii illius maximi, facile ex jam dictis fluit, quid ejus munus fuerit & officium: ut scil. in rebus arduis difficillimisqve dijudicandis, ut ceteri, ita ipse suum pronunciaret judicium, quod deinde secundum pluralitatem eorum sententia communi prolata exsequutioni mandabatur. Ut itaque, quomodo hoc suum obierit munus, discutiamus, postulat instituti ratio. Id ipsum quoque tum ex dicto allato, *non erat adsensus &c.* tum epithetis ipsi tributis, patet. Prædicatur enim de illo, quod fuerit *εὐχήμεων* (cc), *πλῆσι* (dd), *ἀγαθός* καὶ *δικαιός* (ee) &c. quæ lingula heic juvat perpendisse, *εὐχήμεων* tribuitur tum rebus, tum personis. Ubi de his accipitur, notat hominem gravem, ho-

honestum, honorandum: atque duplicem involvit respectum, tum ad ipsam personam, de qua prædicatur, tum alios. Est enim *εὐχήμεω*, qui eo honestam sui existimationem tuetur, quod integer sit vitæ, scelerisque purus: & *εὐχημισύνη*, honestas vitæ, est virtus fundata in perpetua legum observantia, ut aliis de nobis bonam opinionem demus (ff). Salmasius quidem contendit antiquiores & meliores tantum Græcos *εὐχήμεονα* de honesto & moderato viro dixisse: idiotismum autem posterioris Græciæ pro divite & honorato, & in dignitate constituto eam vocem usurpasse. Et sic intelligendum *εὐχήμεονα Βαλεῦν* in Evangelio de senatore spectabili. Verum enimvero quemadmodum Salmasius ipse fatetur: *εὐχήμεον* apud Paulum etiam pro honesto sumi (gg): ita nullam videmus necessitatem deferendi heic priorem illam notionem tanquam fundamentum existimationis. Importat itaque vocabulum hoc *εὐχήμεων*, Josephum, adhibita cultura defectus naturæ & obstacu-

stacula submovisse (bb), atq; existimatione simplici non modo, verum etiam intensiva animum ejus stimulante, certum, possibile & licitum sibi finem proponendo, & tum actiones, tum alia media ad eum recte adtemperando (ii), haud inutile se præbuisse societati humanæ membrum. Atque sic additis iis, quæ ad honestatem pertinent, ut sunt ratio victus & vestitus, mores & commercia se decentia, dictorum gravitas & factorum, & quæ sunt reliqua ejusdem commatis; quoniam eadem non decent omnes, & in privatis multa ferri possunt, quæ auctoritate pollentes, quippe quos aliis exemplo esse oportet, dedecent, omnium oculos in se convertisse, ut debito eum non posset non quisque prosequi honore.

(cc) Marc. XV. 43. (dd) Matth. XXVII. 57.

(ee) Luc. XXIII. 50. (ff) J. Bill. doctr. de mor. p. 86.

(gg) Leigh. Crit. Sacr. (bb) conf. Puf. J.N.L. II. c. 4. §. 1. (ii) Puf. de off. H. & Civ. lib. 1. c. 5. §. 4.

Thes. VI.

AD hoc vero non raro ipsam, qua pollet quis, auctoritatem & fortunæ prosperitatem multum conferre experimur. Οἱ γὰρ εὐγενεῖς ἀξιοῦσι τιμῆς· καὶ οἱ δυναστεύοντες, ἢ οἱ πλεῖστοι. *Qui enim nobiles sunt, & in potestate constituti, & divites, honore digni habentur, ut recte ab Aristotele pronunciatum est (kk). Quo intuitu & ex lautiori rerum Josephi habitu, inter Judæos præsertim, externæ sortis felicitati nimium intentos, Senatoriæ ejus dignitati haud parum accessisse ponderis apparet. Ceterum ut vere mox subjicit Aristoteles: καὶ ἀλήθειαν ὁ ἀγαθὸς μόνος τιμῆς, revera solus bonus honorandus est: ita Josepho hoc etiam elogium a Spiritu Divino additum legitur, quod fuerit ἀγαθός. Quæ vox varias admittit significationes, in quibus enumerandis temporis angustia, nec non instituti ratio vetat moras necere. Sufficiat tantummodo, quo sensu heic accipiatur, inquire-*

re. οὐδέτις ἀγαθός, ἐὶ μὴ εἰς ὁ θεός
 dicit quidem Salvator, (ll) scil. *independent*, *efficienter* & *finaliter*; tribuitur tamen hoc prædicatum etiam rebus creatis *accidentaliter*, *dependent* & *participative*, ut in hoc loco, ita in aliis quamplurimis. Sic dicitur de Barnaba, quod fuerit ἀγαθός, pius (mm): ita inducitur paterfamilias murmuranti dicens: *an oculus tuus malus, quod ἀγαθός, beneficus sum* (nn). Posterioris heic loci aptius quadrare videretur significatio, qua contradistinguitur pietati & iustitiæ: ut ἀγαθός præter formalem suam constitutionem, arguat Josepho inopum cordi fuisse indigentiam: & quoniam ipsi facultates non defuerit, propense ipsis necessaria subministrasse, easque ad pios, justos & honestos accommodasse usus. Cujus rei non vulgare edidit exemplum in sumtibus sepeliendo Christo impendendis, qua de re infra dicendi dabitur argumentum.

(kk) de Mor. L. IV. c. 8. (ll) Matth. XIX. 17

(mm) Act. XI. 17. (nn) Matth. XX. 15.

Thef. VII.

Thef. VII.

Sed quo cum in opibus, quibus
 eius probata est liberalitas ad-
 quirendis, muneri quæ partibus ob-
 eundis, alienum fuisse constet ab in-
 iquitate, nomine *δικαιοσύνη* illum dignan-
 tur sacra ~~panthea~~. Præterita jam
 iustitiæ, quæ alterius est fori, eam
 quæ animi est habitus, & agendo se
 exserit, paucis attingamus. In expli-
 canda hac virtute, utpote inter præ-
 stantissimas, sine qua totum destru-
 eretur humanum genus, Moralis sci-
 entia doctores utramque faciunt pa-
 ginam. Quæ quemadmodum est *ἐπι-
 ρηνή ψυχῆς διαθεμτική τῆ καὶ ἀξία*,
 virtus animi, quæ tribuitur quod cuique
 est par, ut definit eam Aristoteles
 (oo), ita involvit vox *δικαιοσύνη* Jose-
 phum in omni re tanto nisu iustitiæ
 fuisse deditum, ut alicujus inde re-
 sultantis commodi adquirendi, vel pe-
 riculi iminentis evitandi gratia, ea
 aliquem frustrari nefas esse duxerit
 summum. Quod ipsum Spir. S. ei in
 laudem nunquam defraudandam cu-
 ravit scribendum: quod videl. ex-

ponens se presentissimo salutis periculo, non consenserit *consilio* aliorum, quo decreverunt Salvatorem e medio tollere: nedum *facto*, flagitiosis illis mediis; mendaciis, falsis testibus, calumniis, aliisque machinationibus, quibus sanguinarium illud consilium dederunt effectui. Sed quod vel subduerit se a consilio, ubi noverat jus injuste administratum iri: vel in ipso consilio testatus fuerit, sibi illud, quod agebant, minime probari: quamvis obnumerum suffragiorum partis adversæ, justam Salvatoris causam tueri & defendere non potuerit. (pp)

(oo) de virt. & vit. (pp) Gerb. Harm. Ev.
Tom. 2. part. 4. pag. 291.

Thef. VIII.

Ceterum multi inveniuntur, qui, vel auræ popularis aucupandæ gratia, vel ne dignitate, ad quam evedti sunt, priventur, vel alius commodi consequendi, vel mali declinandi causa, honestatem & Justitiam

trām simulant. Ne igitur hujus vitii
 Josephus arguendus sit, memoratur
 religionis fuisse tenacissimus, cu-
 jus amore & fervore justitiam & ho-
 nestatem aliasque virtutes exercue-
 rit: hoc enim indicatur verbis, quan-
 do *expectasse regnum Dei* pronuncia-
 tur (99). Quemadmodum enim erat
 legisperitus: ita haud ignarus scri-
 ptorum Prophetarum, tempus il-
 lud longe desideratissimum, quo
 Messias regnum suum inchoaret, jam
 praesens esse, ex omnibus vaticiniis,
 circumstantiisque cum iis collatis
 certo certius erat persuasus. Quod
 quum doctrina & miraculis prorsus
 divinis a Salvatore editis manifesta-
 ri videret, non potuit non civem
 se huic regno adplicare. Unde au-
 dit de illo: *ἐμαρτυροῦσε τῷ Ἰησοῦ (rr)*.
 Quod verbū etiamsi aliquando trans-
 itive seu activa significatione, ut
 Matth. XXVIII. 19. usurpatur: heic
 vero loci absolute & significatu neu-
 trali accipiendum esse, monet nos
 tum usus ejus etiam in profanis (//)
 litteris; tum expositio Johannis Ev.
 (tt)

(ii) ἢ καὶ τῆς Ἰουδαίας, hoc est, doctrinam Christi ut veram, divinam & cœlestem agnoscebat & amplexabatur. Et quamvis a publica Christi professione, se propter collegarum comminationes (uu) hucusque metu præpostero abstinere fuerit passus: magna tamen jam confidentia, nulla habita ratione periculi, Christum Messiam & Salvatorem publice & manifeste testatur ipso periculosissimo corpore ejus sepeliendi actu.

(qq) *Luc. XXIII. 51. Marc. XV. 43.*

(rr) *Matth. XXVII. 57.* (ff) *Plut. in vita Isocr. &c. (ii) cap. XIX. 38. (uu) Job XIX. 22.*

Thes. IX.

EX hisce igitur levi penicillo jam delineatis, quomodo munitis suum obierit senatorium, satis superq; constat. Quod scil. puriori imbutus religione, illam ut fundamentum solidissimum in omnibus officii sui partibus fungendis servavit, quæ ab illa recederent, ut venenum evi-
ta-

tarit : quod commodum, honestatem & bonitatem iustitia mensus fuerit : immo, quod Pilatum, qui Christum contra jus & conscientiam morti adjudicavit ; collegas suos, qui falso eum accusaverunt ; & denique populum, qui se in partes trahi passus fuit, Christumque crucifigendum, ignota etsi causa, magno postulavit clamore ; iniustitiæ, crudelitatis & immanis pervicaciæ opere ipso coar-guerit. Quod quo magis pateat, illustrem illum actum, quo iusta Christo ignominiose defuncto persolvere non verecundatur, quin breviter perlustremus, haud ab scopo abhorret.

Thef. X.

Hic observanda venit *facultas a Pilato impetrata*. Corpora enim damnatorum a Romanis, etiam post mortis sententiam executioni datam, in eorum erant potestate (xx). Et quanquam, qui ex legibus Romanorum crucifigebantur, in cruce relinquebantur, ut ex Petronio probat

Ca-

Casaubonus (yy), & Kirchmannus (zz) suspendiolos refert inter eos, quibus leges sepulturam denegarunt: nihilominus tamen penes judicem erat, censeretne corpora ad preces amicorum sepulturæ tradenda (a). Unde & Josephus *ἰουδαϊστικῶς*, magna usus audacia, copiam hujus rei nactus est a præside, qui vicissim suo jure *δωκεῖται*, donavit corpus (b). 2. *Receptio corporis sanctissimi*, quod Josephus, vel scalis admotis adscendens in crucem, solutis ex manibus pedibusq; clavorum uncinis, humeris suis aut linteis susceptum, *καταβύθη* (c), *decenter demisit*, vel ligno crucis ex caverna, cui insertum erat, extracto & humi deposito, *ἔθηκε* (d), *iustulit*. De forma autem crucis, in qua mundi salus est parta, ac num illa a Josepho cum ceteris supplicii instrumentis, ex more Judæorum, quem ostendit Mos. Maim. (e) sit defossa aut in sepulcro recondita, unde postmodum sit eruta, disquirant alii (f). 3. *Translatio ex loco publico in hor-*
vicinum, qui a monte Calva-
riæ

riæ, si Adrichomio fides (g); centum & octo pedum spatium, a monte autem Sion passibus mille distabat. Inter ritus Judæorum circa mortuorum corpora a Maimonide recensitos (h) nominanda hic est *ἡ lotio*, quam a Josepho minime esse intermissam Chrysostomus docet (i), & Tabithæ exemplo confirmamur (k). Succedit *unctio*, mixturam unguentorum præbente Nicodemo, dextram tamen porrigente ei Josepho in pollinatura, quæ more in Judæorum *ἐστὶν ἡ διακούσις* servato est peracta, corpori extrinsecus admovendo aromata, quæ Evangelista (l) ad duas revocat species, *myrrham & aloën*, utpote sumtuosiores & in hac mixtura dominantes. Nam *lacrima myrrhæ*, ut ait Chrysostomus (m) *ἔστι βέρβα αλοῦ* ut sunt amarissimi succi, ita vim habent resistendi putredini. Alias etiam species adhiberi solitas fuisse docet Schindlerus (n). *Ἰ Vestitus sepulchralis*: cujus impensis modum apud Judæos esse positum testes sunt Maimonides (o) & Zemach David (p), ut ne principi quidem pre-

pretiosis vestimentis sepeliri licuerit: ideoque mortuos suos *findone* involvebant, quæ ordinariè ex lino subtiliore contexta erat, aliquando pro ratione materiæ & formæ hominibus tenuioris sortis tribuitur, dictaq; videtur a פִּתּוּלָה (g). Josephus itaque hunc in finem *findonem* mercatus est puram, quam Lucas ipse (r) & Johannes (s) per ἡ ἁβύνη , *lintea*, exponunt: addita etiam ab hoc mentione *sudarii*. Modus vestiendi, quem Johannes per ἐδησαν , alii per ἐνετύλιξεν & ἐπέβλησαν , exprimunt, erat involutio quædam & colligatio corporis arctior, ad unguenta & aromata servanda. Unde Salmasius ait (t), *Parvo linteo (Sudario) involutum fuisse caput Salvatoris, toto interim corpore fasciis religato, a pedibus usque ad fauces, instar infantis fasciis inclusi; adeoque cenlet, grande illud lintheum tegmen, findonem, a Josepho in multas scissum esse fascias, iisque Christi corpus vinctum. An vero integra findone convolutum, ac manus pedesque* κρυβῆται , *institis, e-*
xemi-

xemplo Lazari (*) circumligatum fuerit, naud liquet. Num vero eadem hodie findon vel Taurini, vel Compendii; sudarium autem Christi vel Vefontii, Romæ, vel alibi seruetur, quærere nihil expedit (x). † *Compositio in loculo*, cujus usum apud Judæos ΠΟΔ *lectur*, in funere Abneri (y), & κλιων in funere Herodis (z), probabilem reddunt nonnullis, heic saltem festinatione impedita videtur.

(xx) *Gerh. Harm. Ev. c. CCV. p. 296.*

(yy) *Exerc. XVI. (zz) de fun. Rom. app. c. 7. (a Qvenst. de sepult. vet. c. III.*

(b Marc. XV. 43. 45. (c l. c. v. 46. (d Job. XIX. 38. (e H. Sanb. c. 15. §. 9. (f vid. Casaub. exerc. XVI. n. 77. 78. 97.

Gejer. de luc. Heb. c. 6. §. 15. (g Descript. Jerus. 239. (h de luc. c. 4. (i Homil. 84. in Job. (k Act. LX. 37. (l Job. XIX. 39. (m vid. Qvenst. l. c. cap. V.

(n Lex. Pent. in ΠΟΔ. (o loc. all. (p Ap. Schick. de J. R. H. cap. VI. conf. Buxt. Syn. Jud. cap. 35. (q Casaub. Exerc. XVI. n. 65 (r cap. XXIV. 12. (s cap. XIX. 40. XX. v. 5. 6. 7. (t ap. Th. Barthol. de Lat.

Chr:

*Chr. apert. p. 377. (u Job. XI. 44. (x vid
 Quenst. l. cit. Gej. de lucf. Ebr. c. V. S.
 10. (y 2. Sam. III. 31. (z Jos. de B. J. lib. I.*

Thef. XI.

SEquitur in corporis illatio in monu-
 mentum: quod non tantum no-
 vum, sed & λαζευτὸν & λεηλοτη-
 μωνον Evangelistis dicitur, quando-
 quidem in rupe solida Josephus id
 excidendum curaverat. Scilicet inter
 Judæos nativæ passim speluncæ in
 rupibus erant, ad quarum imitatio-
 nem aliæ excavabantur condendis
 defunctorum exuviis. Ex scriptis
 Rabbinicis notat Calaubonus (aa in
 hujusmodi spelunca, longa sex, la-
 ta vero quatuor cubitos, fuisse octo
 (secundum alios tredecim) cavata
 foramina, ad totidem corpora re-
 ponenda: ante os speluncæ etiam
 fuisse γαπ, atrium. Tale ergo monu-
 mentum Christi fuisse videtur, in
 quod ingressus patebat, tanquam in
 cameram excavatam [bb, ipsum autem
 conditorium corporis sacratissimi
 tantum intrespici potuit. Quot ve-
 ro

ro conditoriis sive cellulis instru-
ctum fuerit, & eleuatumne aliq-
quantum supra terram, an depres-
sum, ut gradibus aliquot in id de-
scendendum esset, haud æque patet.
Primam enim speluncae formam esse
immutatam, loco sepulcri aggesta
terra aliisque rebus a paganis obru-
to, ne ulla exstaret ejus memoria,
ex Eusebio[*cc* constat: adeo ut anti-
quam ejus faciem ex Beda[*dd* aut se-
quiorum sæculorum descriptionibus
tuto discere nequeamus. De hodi-
erno ejus statu a pluribus descripto,
nihil addimus [*]. Ultimus sepultu-
ræ hujus actus Josepho erat *obstru-
ctio sepulcri*. Scilicet lapidem ingen-
tem, quem לֵבֶן־זָבָד Hebræi adpella-
bant, advolvit foribus, monumen-
tine totius, an conditorii, in quo
sacrum erat corpus repositum, in-
ter eruditos non convenit. Neque
corpus cum nonnullis plures obtrud-
re lapides, cum unius in historia
Evangelica fiat mentio. [*cc*

Hoc igitur casu inclaruit fortitudo
Josephi quam maxime, quia nulla
invi-

invidia, nullis comminationibus, nullis incommodis vel bonorum, vel honoris, vel denique vita, quæ omnia heic periclitabantur, sese a peragendo hoc opere passus est deterrere. Horrent plerique etiam vi-
 lioris sortis, corpus condemnati ex ligno ignominiosissimo demittere, tortoris id officium ducentes. Quod quum vir in senatoria constitutus dignitate obire non dubitaverit, modestiam suam incomparabilem & animum obsequio fidei subactum, toti reddidit posteritati commendatissimum. Constitui etiam heic aliquid commentari in vexatissimum illum locum Es. LIII. 9. an *WVY* illic nostrum hunc Josephum respiciat: verum angustiis hisce coercitus, isthoc labore supersedere cogor.

(*aa* Exerc. XVI. n. 98. 99. (*bb* Marc. XVI. 5. (*cc* vit. Const. l. 3. cap. 24. (*dd* in cap. XV. Marc. & de loc. sacr. (° conf. Perringk. B. Glächtr. pag. 100. (*ee* conf. Ligtbf. Chorogr. c. cit. Qvenst. de sepult. ver. c. XI.

Thes. XII.

Thef. XII.

QUæ tandem post opus illud per-
 actum Josephi fuerint facta, ni-
 hil certi in antiquitate reperitur.
 Hinc facile est iudicatu, quanta sit
 fidei traditio illa, quod noster a Sa-
 cerdotibus propter hoc factum fue-
 rit comprehensus, & in carcerem
 conclusus; sed inde mirum in mo-
 dum liberatus. Sic enim scribit Gre-
 gorius Turon. *Adprehensus, inquit,
 Joseph, in cellam includitur, & ab i-
 psis sacerdotum principibus custoditur. Sed
 resurgente Domino, nocte parietes de cel-
 lula, in qua Joseph tenebatur, suspen-
 duntur in sublime: ipse vero de custo-
 dia angelo absolvente liberatur, parieti-
 bus in locum suum restitutis* (ff. Idem te-
 nendum de exilio Josephi & pere-
 grinationibus statim post adscensio-
 nem Domini, a Baronio propugna-
 tis: scil. *cum post latam a Judæis exilii
 sententiam tum in ipsum, tum Lazarum
 & Mariam Magdalenam, una cum illis
 navi absque remigio impositum, Massili-
 am adpulisse, & hinc solum deinde in
 Britanniam navigasse, illic episcopum e-
 gisse*

gisse, & post pradicatum Evangelium ibi di-
 am obiisse supremum. Quo stent talo tra-
 ditiones istæ, vel potius conjecturæ,
 quilibet viderit. Alto enim in scri-
 ptura vetustisque añalibus involutæ
 sunt silentio: quum tamen vix, &
 ne vix quidem tanta res neque a sa-
 cris scriptoribus fuisset prætermissa,
 neque tanti viri dignitas ac munus
 totius antiquitatis oculos effugere
 potuisset. E contra neque Turon.
 ille Gregorius, fabulosissimus ali-
 oquin scriptor sæculi sexti (66), neque
 posteriores, idonei in hac caussa
 sunt testes. Porro non licuisse vide-
 tur tunc Judæis, in conspectu præ-
 sidis Romani, præsertim ob facinus,
 cujus venia ab ipso erat impetrata,
 viris nobilibus mortem exiliumve
 imperare. Quo tamen posito, a ve-
 teri sua consuetudine irrogandorum
 suppliciorum deflexisse, novamque
 & antea apud eos inusitatam & in-
 auditam pœnam ipsis imposuisse,
 probatu est difficillimum. Quid?
 quod tanta præjudiciorum nebula
 fuere occupati, etiamsi Christiani-
 smo

smo addictissimi, tum Apostoli ipsi,
 tum viri Apostolici, primo ab ad-
 scensione tempore, ut nefas Judæo
 ad alienigenam accedere duxerint,
 [*bb* Hoc saltem dixerim, Josephum
 nostrum post factum illud Synedrio
 vix unquam interfuisse: quoniam
 postea res in isto collegio maximam
 partem in dirissimis persecvutioni-
 bus adversus amplexantes Christia-
 nam fidem excitandis, eorum no-
 mine penitus extirpando eliminan-
 doque, posita fuit: hinc eum non
 potuisse non sese a collegarum im-
 pio sejungere consortio. Nec con-
 tra a collegis, utpote qui impia su-
 pinaque perstiterere cordis duritie, e-
 um, quem non longe illia seditioso
 remotum duxere, in synedrio tole-
 ratum, credibile est. Ceterum de
 reliquo ejus vitæ mortisque genere,
 quum nemo dignam creditu relique-
 rit historiam, dolendum est, nos
 ad penitiorem tanti viri illustratio-
 nem nihil quidquam facere posse. I-
 deoque vela heic contrahimus, cali-
 dissimo precati adfectu, ut Deus O,

M. religionem Evangelicam apud nos puram & incorruptam servet ac dilatet, intrepidusque veritatis confessores indies excitet, ornet, instruat, qui fide, pietate, honestate, benignitate & justitia aliis præluceant, ὡς Φωστῆρες ἐν κόσμῳ, ἐν κενῶ γενεᾷ σκολιᾷς καὶ διεσραμμένῃς! Phil. II. 15.

Ω Μόνω Δόξα.

[*ff de mir. l. I. c. 21. [gg Hist. Eccl. Goth. l. 2. c. 3. Seff. 5. [bh vid. plura ap. Sam. Basn. in reb. sacr. pag. 13. seqq.*




Til

Herr JOSEPH KRANCK,

Då han i Åbo framgaf sina wisttra
tanckar om

JOSEPH af ARIMATHIA.

 Helga Skriften talar om,
Hur' Joseph, utaf Rama, kom,
Sig dristigt för Pilato tedde,
Begårte lof, Pilatus gaf,
At lägga Frälsar'ns kropp i graf,
Then nyliq han sig sielf beredde.

Men hur', min Wån, rått ther
med war

Bestaffat, Edralårda ra'r

Til pricka wackert of beskrifwa ;

Them I förswara thenna dag

Lånckt i the fria Konsterns lag,

Med hwad I mera årnat drifwa.

Jag önskar dig, at himlen Er
Wälsigna wille mer och mer,
Samt gifwa slutligt thet til löna:
At, som J uti wisshets häf
Förwärfwat mycket wackert läf,
Hon Er för mödo all må kröna!

Skrefs detta i hast, doch wäls-
ment, af

ERZEH CAJANUS Erichson.

Doctissimo Viro - Juveni,
Dn. JOSEPHO KRANCK,
Eruditæ Dissertationis
de JOSEPHO ab ARIMATHÆA
Auctori Dexterrimo,
Amico singulari.

Διηγησωνό τις τῶν ὀλίγων πρὸς ἔν-
τάδε ἀφικομένων, ὅτι σὺ, ὁ φιλικήτης
κεφαλῆ, ἐντεθύμησαι εὖν δὲ πιεῖσθαι σου
ζητήσιν πρὸς ἸΩΣΗΦ ΤΟΥ ΑΠΟ ΑΡΙΜΑ-
ΘΑΙΔΟΣ, τῶνδε τῶ ἔργῳ καὶ πρὸς πλᾶ

κα-

κατασὰς ἐπιτηδειότατῳ. Ἰπερήθη
ἐν καγὼ τάδε πυθόμενῳ, καὶ καὶ
μακρὰν ἀπὼν, συγχαίρω σοὶ τῷ βελ-
τίστῳ τῶν ἐπιχειρήματι. Εὐεσαι
μὴ ἐν ζύμπασι τοῖς πρὸ τῶν λόγων
ἔσσι βραχίονι ἐντεύθει, ἢ γενναίᾳ ψυχῇ,
καταμαθεῖν, ὡς ἐκ ἔστιν ἕδεν τῶν ἀ-
πάντων ὅπερ ἐμποδῶν ἀν γένηται τοῖς
τῶν καλῶν ἐπιθυμῶσι πραγμάτων,
συνδραμῆσθαι μόνον τῆς σπυδῆς ἐπὶ
τόδα. Καὶ γὰρ σὺ, πινέσαιτῳ ὡς μά-
λιθα ὑκάρχων, πεισγένη ἀπάσης ἡς
δυσχερείας, ἢ τὴν ὀρθὴν σπέυθεις πρὸς
τὰ κάλλιθα. Εὐγε τῆς ἡρξῶ ὑποθέ-
σεως εἰς τὸν ἐπιόντα.

Upsalia d. 12.

Junii 1729.

GABR. N. MATHESIUS,
Ostrobothniensis.

Eidem.

Cum Te, eruditissime Dn. KRANCK, jam in elaborando specimine quodam Academico occupatum esse, atq; inter tot durioris insultus fasi, caput quasi erecturum videam; non potui non lætitiā pariter ac officium publice testatum facere meum. Triennium & quod excurrit, Tua mihi informatione uti licuit: quo temporis spatium, quod ad me attinet, tantum expertus sum ex ea fructum, quantum vix alias potuissem. Quod ad Te vero, tantam industriam morumq; integritatem, quantam mihi nec vires describendi, nec opus describere est: eam enim laudem Tibi non facile quemquam derogare posse crediderim. Præsens hoc Tuum opus insignius est documentum eruditionis non vulgaris, quam meum elogium incomitum. Gratulor Tibi saltem hæc ipsa ex animo. Et quemadmodum jam munus illud sacrum Tibi injunctum est: ita ex medullis voveo, velit supremum Numen Te Spiritu veritatis ita instruere, ut animas quam plurimas ex potestate tenebrarum Deo Tuo lucrari possis, & tandem post solutum cursum coronam obtinere justitiæ!

PET. C. ZIMMERMAN.

Ostro-Botniensis.